

Dotalicium autem mulier in vita sua tenebit; post mortem vero eius, ipsum dotalicium ad propinquos viri sui redibit.

Si vero nec vir, nec mulier hereditates habuerit, sed de mercimoniis questum facientes, substantia ampliata fuerit et heredes non habuerint, altero eorum mortuo, alteri tota substantia remanebit. Quod si uterque obierit, si propinquos in Potestate habuerint, quantum voluerint de substantia sua pro animabus suis in elemosinam dabunt et reliquum propinquis eorum remanebit; si autem propinquos non habuerint, due partes substantiae pro animabus eorum in elemosinam dabuntur. tertia vero ad villam munitiones in arbitrio Juratorum erit.

Præterea nullus extraneus de capite censu Laudunensium Ecclesiarum vel Militum Civitatis, in hanc Pæcis institutionem vel Communiam, nisi annuente Domino, recipietur, quod si per ignoranciam, absque Domini sui voluntate, aliquis receptus fuerit, infra quindecim dies sine satisfactio, cum tota substantia sua, salvo abire quò voluerit, permittetur.

Homines autem de mansis mutabilibus, quotquot venire voluerint, absque contradictione recipientur; et si placita non solvent sicut alii homines Pæcis qui placita sua debebant, sed si in terris avenam et censum debentibus mansiones habuerint, Dominis illis quibus jus erit, avenam et censum solvent.

Quicumque autem in Pæce illa recipietur, infra anni spacium, aut domum sibi edificet, aut vineas emat, aut tantum sue mobiles substantie intra Potestatem Pæcis